

Tentamen medicum inaugurale de scrophula ... / [Thomas Westrop].

Contributors

Westrop, Thomas.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1779.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tmaubkyd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

T E N T A M E N M E D I C U M ,
 I N A U G U R A L E
 D E
 S C R O P H U L A .

Q U O D ,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,
 Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri ,

D . G U L I E L M I R O B E R T S O N , S . S . T . P .

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P R æ F E C T I ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,
 E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S
 R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

T H O M A S W E S T R O P ,
 H I B E R N U S ,

S o c . P h y s . - C h i r . S o c . H o n o r .

A d d i e m 12 . S e p t e m b r i s , h o r a l o c o q u e f o l i t i s .

T a n t i n o n e s , a i s . S a p i s L u p e r c e . . M A R T . E P I G .

E D I N B U R G I :
 A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,
 A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M , D C C , L X X I X .

mentum et actione

et de la force et de la puissance

de l'ordre et de la discipline

de la police et de la sécurité

de la justice et de la protection

de la santé et de la sécurité sociale

de l'environnement et du développement durable

de l'énergie et de l'industrie

de l'agriculture et de l'alimentation

de l'industrie et de la construction

de l'artisanat et de l'artisanat

de l'agroalimentaire et de l'agroindustrie

de l'industrie et de la construction

de l'artisanat et de l'artisanat

de l'agroalimentaire et de l'agroindustrie

de l'industrie et de la construction

de l'artisanat et de l'artisanat

de l'agroalimentaire et de l'agroindustrie

de l'industrie et de la construction

Fratri suo dilectissimo,

MICHAELI BUSTEED WESTROP,

Juris·confulto peritissimo,

Et in omnibus, quae virum ornant,

Doctissimo,

Qui fratris optimi;

Et amici spectatissimi,

Officiis semper functus est,

Hasce studiorum medicorum primitias

Dicat consecratque

T H O M A S W E S T R O P.

J. Waskey
from his friend and
humble Servt.

The Author

JOHN WALKER AMONG
THESE PAGES ARE
REPRODUCED THE
MATERIALS OF A
LITERARY WORK
WHICH WAS
PUBLISHED IN
1800.
THE AUTHOR
WALKER,
WHO DIED
IN 1800,
IS KNOWN
FOR HIS
WORKS
ON
HIS
COUNTRY
AND
FOR
THE
WIDE
POPULARITY
WHICH
HE
ENJOYED
IN
THE
LITERARY
CIRCLES
OF
THE
TIME.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALIS,

DE

SCROPHULA.

SCROPHULA, vel struma, morbus ante alios, quibus mortalitas caduca ac infirma sit obnoxia, atrox esse, obscurus et insanabilis, aevo etiam hocce, omnes res arduas enucleandi cupido, et in quo verae scientiae lux affulgit, invenitur. Arthritidi similis et theoria et medela, medicorum quasi opprobrium est habenda, empiricis argumentum validum suppeditat, ac aegrotis ipsis ignominiam semper attulit. Lumen rei infundendi omnem spem ita abjecerunt autores systematici praecipui, Boer-

haavius

6 DE SCROPHULA.

haavikis et Hoffmannus, ut de ea in operibus suis haud verbum addiderunt. Quae igitur spes nobis restat? Nulla equidem in curatione sine dubio perficienda. Si vero ex auctoribus diversis ea medicamenta, quae commodum spondeant, feligere, et in ordine proprio collocare, liceat, certe haud inutile erit, et multum momenti habeat.

HISTORIA MORBI.

Scrophula varias corporis humani partes, ante alias vero glandulas lymphaticas vel congregatas, pertentat. Hae, partibus oculo subjectis, sequentes subeunt formas. Paululum, nodis similes, tumidae, sine tactu doloris sensu, et sine ullo rubore vel cutis colore notabili, primo impetu evadunt. Doloris fere omnino sunt expertes et modice durae; prementi digito cedentes, pressura vero sublata, formam priorem statim recuperantes. Facile manus moventur, vel partes infra positas superlabuntur. Ad molem miram, dolore haud

comitante vel cutis colore mutato, saepe augentur. Quoad magnitudinem et figuram, multum variant; modo rotundae, modo ovatae. Cultro anatomico membrana densa, firma, has glandulas cooperiri apparet.

Hocce statu per multos annos, etiam per vitam, maneant; plerumque autem et mole et numero tumores fese attollunt, et aliquando tam arcte necuntur, praecipue in collo, ut glandularum conglomeratarum speciem prae se ferunt. Ex mobilibus loco nunc firmantur; gradatim condolescunt; cutis color mutatur, quamvis aliquando glandula suppuratur intacta cute, coloreve ejus mutato *; inflammatio supervenit, et tandem ad ulceris gradum pergunt.

Ulcus semper est mali moris, ad sanandum per difficile; et, quamvis certo temporis stadio sanatum, tamen viribus infraictis alio repullulat loco. Labia livida, pallida, semimortua, et carni diu maceratae similia, marginem habent dentatum, inaequalem, et saepe fungosum.

Humor

* Fallon. Thes. inaug. De scrophula.

8 DE SCROPHULA.

Humor ex ulcere stillans, quoad natu-
ram, est foedus, tenuis, ichorofus, et tam
acris ut partes vicinas aliquando erodat.
Persaepe massulas, lactis coagulo vel casei
frustulis similes, cutis nitore et rubore sin-
gulari comitantibus, ostendit. Sanies ple-
rumque, ut in aliis ulceribus, post tegu-
mentorum rupturam eliminatur ; in multis
etiam casibus, ex parvulis in cute forami-
nibus distillat.

Hoc ordine alterum alterum perforat ;
via inter multa patefacitur ; sinus forman-
tur, et tandem, aut exinanitione affidua con-
fектus, aut hectica oriente, aegrotus, amicis
et cognatis lugendus, vitam pro morte
commutat.

Symptomatis hactenus enumeratis alia et
generalia comites sese exhibent ; veluti fa-
ciei color floridus, nitidus, aliquo gradu
venustus ; abdomen, columna nasi tumida ;
labium superius aequo grandius, fissum ;
oculi plerumque magni, debiles ; facies to-
ta et collum, praesertim in genarum parte
inferiore, tumescunt ; cutis laevitate pecu-

liari gaudet, et per totum corpus multum valet diathesis phthisica.

Adhuc tumoris profectus historiam depinximus; morbus vero varias induit formas, prout hanc illamve adoritur partem; sic, circa oculum situs, ophthalmiae speciem praebet. Palpebrae sunt rubrae, tumidae, crudae; cilia defluunt; albuginea rubet, et est ubi aeger etiam caecus evadit. In artuum juncturis tumores, caries, et quod tumor albus nuncupatur; ossium aliqua alia parte illud spina ventosa dictum; pulmonibus phthiseos pulmonalis signa; glandulis mesentericis aut atrophia aut hydrops oriuntur. Perraro sub cancri specie apparet. Quamvis aliquando hasce varias induit formas, atque aliis ac tempore alio morbus hic dirus alia ostendit signa, tamen saepius glandulas circa collum ac maxillas inferiores afficit.

Scrophula, juventute erumpens, totum vitae cursum, nec latius diffusa nec ulcerata, saepe perdurat. Saepissime etiam quod diversis vicibus, aut mutationibus, quas subit systema, pubertati, scili-

10 DE SCROPHULA.

cet, primis vel novissimis menstruis, cedat, accidit. Pubertate ineunte, scrophula frequenter sese abscondet, et aegrum etiam quam antea robustiore, et aliorum morborum insultui minus obnoxium, reddit. Multi auctores hunc morbum saepe per variolas curari affirmant, et praeterea, impetus gradum coeli temperiei vel anni temporibus respondere, observandum est ; sic, hyeme durante et vere ingravescit, aestate ad suppurationem tendit, dum autumno vel ex toto disparet, vel magnum patitur levamen.

DEFINITIO.

Definitionem optimam nobis suppeditavit Cullenus celeerrimus, theorja omni vacuam, et morbum ab aliis liquido secerrentem. In classi tertia, cui titulus Cacheiae, et ordine tertio, Impetigines, eam posuit.

“Glandularum conglobatarum, praesertim in collo, tumores ; labium superius et columna

lumna nasi tumida; facies florida; cutis levis; tumidum abdomen."

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Scrophula nulli sexui aut aetati est propria. Uno tempore vero frequentius quam altero aggredi videtur; sic perraro post pubertatem aut ab incunabilis impetum format. In universum, quamvis ejus insultui nullus certus datur periodus, ab anno circiter quarto ad decimum quartum plerumque appareat. Temperamento sanguineo gaudentes, capillos albos, molles, faciem floridam, rubicundam, habitum laxum, debilem habentes, saepius hoc morbo laborant; et sic rem se habere fidelissimi testantur auctores. Sexum igitur sequiorem, utpote his seminiis magis quam alter obnoxium, in morbum esse procliviorum videtur *. Russelus liberos, rachitide tentatos,

scro-

* Dr Fallon, de Gortero suadente, narrat puellas minus frequenter morbo tentari; forsan vero et pueras et puellas æque infestat.

scrophula vexari observat *, et aliqui autores, parentibus, lue venerea vel aliis morbis chronicis multum fractis, ortos saepe in scrophulam incidere narrant. Magnum ingenii acumen comitem plerumque habet. Ita etiam in phthisi pulmonali obtinet ; in his vero casibus haec indicia tantummodo pro temperamenti signis, non pro causis ullo modo excitantibus, sunt habenda. Temperamentum est sanguineum, et hujus inter signa poni noscimus, “ Systematis nervosi sensilitatem †.” Aër malus, humidus, nebulosus, scrophulae originem dare, multis fertur auctoribus ‡. Aërem vero ad morbum inducendum haud insigniter valere posse, credo. Apud omnes enim terras graffatur, et, si in plaga una saepius quam altera incolas infestat, ab aliis causis, non aëre, oritur. In regionibus gelidissimis, veluti in Germania et Siberia, et in

cali-

* Russel on Sea Water.

† Cullen's Materia Medica.

‡ Vide Principia Medicinae Doctoris Home, et Wiseman's Surgery.

calidissimis, Jamaica et Ægypto, crebro etiam sese ostendit *. Quoniam autem maiorem vel minorem incrementi gradum, pro ratione aëris status aut anni temporis, patitur, haec in medela sunt praecipue observanda.

Ante alias causas maxime notatu digna venit labes haereditaria. Hoc verum esse, haud dubitandi restat locus. Apud nonnullos homines enim, ut Hispaniae, Germaniae partium incolas, endemice graffatur. Hominis, scrophulae obnoxii, filii, huic similes, plerumque iisdem morbis subjiciuntur; matrem vero referentes his expertes evadunt †.

Diaeta plena et lauta, cui haud justa jungitur exercitatio, ad hunc morbum homines

* Pannel Thesis Inaug. de Scrophula.

† Generosus quidam, qui juvenis scrophulosus fuerat, uxorem duxit hac labe prorsus immunem; plusque ex ea suscepit liberos, quorum alii patrem, alii vero matrem, vultu referebant. Qui patri erant similes scrophula omnes affecti fuerunt; matrem vero referentes, sicuti mater, fuere immunes. Camplin Thes. inaug. de Arthritide.

nes proclives efficiat; et eundem edat effectum diaeta fermentabilis, acescens, et cruda *. Si morbus, ut postea evincere conabimur, ex statu systematis lymphatici debilitato originem dicit, diaeta talis hunc multum augebit, et curam difficiliorem reddet. Ratione numeri, pauperum tabernas aequae ac regum turres, aggreditur scrophula.

CAUSÆ EXCITANTES.

Multæ morbum excitantes auctoribus causæ enumerantur; fortasse vero, si attento oculo scrutemur, ad perpaucas, plerisque aut aliquam theoriam suffulcire adductis, aut ex incuria vel animo parum cauto orientibus, eas redigamus. Proprie Culleni verbis hic uti liceat: “ In a disease depending so much on a predisposition, the assigning occasional causes must be uncertain; as, in

* Vide Wiseman’s surgery, et Principia Medicinae.

the predisposed, the occasional causes may not always appear; and, in persons not predisposed, they may appear without effect *.”

Ex contagio eam oriri, et quod nutrix puellum, ejus ubera ducentem, inficeret, scribunt. Morbi contagiosi ex aliquibus noxiis effluviis, corpore humano dimanantibus, et alio acceptis eadem mala commoventibus, originem ducunt. Nunquam in scrophula aut sensibus, aut effectibus, cognoscenda, haec effluvia redduntur. Si ita res sepe haberet, familiis certis tam accurate non esset coercita, et nemo ferme per vitae decursum ab ea immunis evaderet. Culenus clariss. experientia nulli secundus, morbum haud esse contagiosum testatur. Quoad nutricem, si lactis inopia, lacte impuro, adversa vel aliqua valetudine laboret, certe infantem, cui mammas admoveat, multum affectaret et debilitaret; et sic morbi, antea in systemate

* First Lines of the Practice, par. 464.

systemate latentis, eruptionem properaret. Forsan etiam, quod nutrix scrophulosa infantem, morbo antea immunem, inficiat aliquando evenit; exempla vero rem ultra dubium stabilire auctoribus haud enumerauntur.

Labem haereditariam, p^{re} aliis, multo causam frequentiorem sese praebere, supra diximus; et, ex hoc fonte solo, nulla alia causa admota, saepe scaturiat scrophula. Huic opinioni temere non obviam iremus; namque, quamvis in seculo proximo non apparet, tamen ex prioribus parentibus ad ultimam etiam prolem descendere, et aliquis, quoad speciem externam perfecte sanatus, habitum, post longum tempus liberos aggressurum, adhuc retineret. Labes igitur, certa mala systematis lymphatici conformatioⁿe posita, ut corpus viribus et magnitudine crescit, nulla causa adhibita, erumpat. Morbi haereditarii ex generibus duobus constant; uno materia venenosa a parente ad profapiam transvecta, veluti lues venerea; altero staminorum primigenorum statu, laxitatis, rigiditatis, sensilitatis, mobilitatis

bilitatis gradu, veluti rachitis, phthisis pulmonalis, epilepsia, et etiam, ut mihi videtur, scrophula, prognato.

Quamvis plerumque hocce modo accidit, tamen caufae excitantes aliquae, tumores inducentes, adhuc sunt nominandae. Sic omnes inter se consentiunt au^tores, quod, praedispositione prius stabilita, strumas noxae externae producant. Inter has ic-
tus, frigus, &c. enumerantur.

CAUSA PROXIMA.

Hacce dissertationis parte rem, quae celeberrimis etiam medicis scrupulum injecit, suscepimus. In qua, si titubemus vel erre-
mus, ex natura rei obscura, et multorum ho-
minum fato simili, solatium nobis ducere li-
ceat. Morbi vestigia etiam in aevo Hippocra-
tico invenimus, et exinde ad nostra tempora
omnis de eo scribens auctor theoriam pro-
posuit diversam. Galeno caro sicca nun-
cupatur; Wifeman causam in seri aciditate

†

C

ponit;

ponit; alii ex acrimonia, et alii ex fluidorum lymphaticorum visciditate, deducunt. Ruffelus causas, aut nimii humoris in glandulas fluxui, aut partium affectarum debilitati, qua fluxui obstare non possunt, attribuit. Cullenus causam etiam proximam a systematis lymphatici statu debili oriri putat; in hoc vero, nempe, quod staminis primordiis a parente ad liberos transeuntibus multum imputat, Ruffelo dissentit. Porro, acrimoniae opinionem perquam esse probabilem, ille inquit; quod materia aliqua, exhalantibus effusa et lymphaticis absorpta, tumores formaret. Inde in curatione indicatio ejus est, sistema lymphaticum abluere. Plerique seculorum suorum doctrinas secuti sunt. Dum multum valuit acrimoniae theoria, omnes ex ea originem ducebant morbi; lentore et visciditate in medium allatis, eadem vehementia et temere res novas avide cupiunt. Haec vero, omnibus fere casibus, super hypothesibus et propositis falsis strui, manifeste medicis hodierum demonstratur. Eorum argumenta hic enumerare,

enumerare, et taedium et inutile esset; de his ad nostrum tantummodo pertinentibus tractabimur.

Quoad feri aciditatem, Wisemannii placitum, veritate stabiliri haud videtur. Primas vias, non in sanguinem, vel tantum viribus infractis, absorbenda, possideat; neque, testante Doctore Home, ullam aut feri aut tumoris aciditatem explorare, gustu vel chemia, possumus. Potius morbi, systematis atque igitur stomachi vires, quo aciditas nascitur, frangentis, quasi sequela est habenda.

Acrimoniae theoria inter alios medicos multum valuit. Huic etiam assentit Cullenus cl. Per longum tempus durante scrophula, et ulcere formato, certe materia acri notabilis occurrit; haec autem, quoniam in stadiis primis nullum testimonium vel signum edit, valetudine adversa diu manente oriens, haud omniō pro causa proxima est ponenda.

Ex fluidi lymphatici circuitu tardo, causis remotis, et tumoris specie, lenor et visciditas

ciditas pro causa proxima adducuntur. Haec doctrina, quamvis speciosa, ni fallor, multis objiciendis patefacitur. Visciditatem enim existere, haud omnino probatur ; morbi naturae haereditariae rationem non reddet ; et, si totum systema lymphaticum inviscatur, quomodo corpus nutritur ? Per paucis diebus Libitinae vota solveret aegrotus. Hac theoria etiam pro vera concessa, diluentia et attenuantia medelam certissimam perficerent ; quae, et si tumores in aliquibus casibus minuant, nequaquam radicus morbum tollunt.

Doctrinis maxime notatu dignis pro virili everfis, nunc ut nostram opinionem proponamus restat. Medicina caligine tam profunda obvoluta latet, et multa, quae investigare conamur, tam procul a sensuum acie absunt, ut ea ultra dubium et lites stabilire, humanum penitus fugit intellectum. Si igitur doctrina ulla aliquibus rebus certis probabilis appareat, si omnium phaenomenum rationem suppeditet, contenti abeamus, et nullam aliam, nisi morbi naturam melius exponerit,

exponerit, testimoniis superet, et nos ad curationem justam duxerit, recipiamus. Antea scrophulam in systemate lymphatico sedem habere diximus. Hoc vero probatione caret, et a Doctore Monro, in praelectionibus suis academicis, negatur. Ille, quod ibi non collocatur, quod aequum malum ingravesceret, hoc systemate corpore vacuo, et quod illic tantum propter ejus officium effectus edit, affirmat. De medici opinionibus tam magni, et tam merito celebris, judicare summa esset in juvene audacia. Forsan conjectura veritate nititur; cum vero evidenter sistema lymphaticum aggreditur, et cum ibi posita phaenomena enucleabit, melius est morbum juxta tractare. Causam igitur proximam, statu solidorum lymphaticorum vel absorbentium infirmo, cum Culleno et Russelo ponere animus jubet. Haec multis stabilitur. Omnes causae remotae, praedisponentes, ut temperamentum sanguineum, exercitationis inopia, aetas tenera, &c. occasio[n]ales, ut laetus, frigus, &c. huic originem manife[n]te praebent. Hac theoria

sola naturam morbi haereditariam explicaremus; si fluidis haereret scrophula, post partum cito signa ederet; cum vero labis haereditariae symptomata manifeste apparent, et, infantia peracta, cum tantum erumpit, causam solidorum primigenorum statu morbido deducere oportet; qui systemate latens, certo ejus evolutionis tempore, aut causis aliquibus adhibitis, speciem, de quo hic agimus, ostendit. Haec cur tam saepe diversis vitae mutationibus e conspectu evolat, solum causam reddet; ex hac, indicationes rationi consentaneas et medicamenta, curam aliquando, quamvis eheu! haud saepe, medicis perficere inventa haurimus. Praeterea, si omnia phaenomena occurrentia, omnia morbi symptomata aperiat, cur de ea dubitemus, aut cur aliam, etiam pulchre deductam, quaeramus theoriam?

D I A G N O S I S.

Morbo venereo, tumoribus steatomatis, scirrhis, et phlegmonibus, scrophula commisceri potest.

Steatomata, in stadio tantum incipiente, nobis aliquod dubii incutiunt, et etiam tunc facile sunt distinguenda. Mollitie majore gaudent, membrana cellulari sedem habent, et non vulgo temperamento sanguineo, labiorum, nasi, aut abdominis tumoribus, scrophula individuis, stipantur.

Phlegmones parvo temporis spatio dolorem quam scrophula majorem secum afferrunt; color rubicundior sit, et suppuratio certam facit diagnosin.

Scirrhi, scrophulofis similes, tumores sunt indolentes, mobiles, et eodem modo ad suppurationem tarde eentes. Sedes vero non similis occurrit. Glandulas conglomeratas aggreditur scirrus, conglobatas scrophula. Aliquando equidem glandulas lymphaticas, praefertim

praesertim in inguine, duras et scirrhosas etiam per vitam manere, aut in cancrum verti dicitur; ita eveniat, casus vero tam pauci et rari haud notatu sunt digni. Scirrhi et cancri glandulas conglomeratas pro sede propria certe occupant. Illis etiam tumores duriiores, et causae excitantifere semper, aliter ac his, referendi observantur. In scrophula eodem tempore multas partes adoritur morbus; scirrho, salttem ineunte morbo, affectio est localis.

Quomodo vero a syphilitide eam distinguere possimus, et symptomata errori non obnoxia, et certe ab aliis segregata, inveniamus, labor haud erit inutilis, etsi difficilis. Lues venerea, in stadiis aliquibus, ossa afficit; dolores, cariem, ulcera, et glandularum lymphaticarum tumores, inducit; omnia in scrophula etiam accidentia, quae tam prope luem reddit, ut haec pro altera saepe habentur. Sequentibus animus diligenter incumbens, eas probabiliter internoscat. Syphilis, vel morbus venereus, ex aliquo viro vel veneno specifico, gonorrhoeam, bubes,

nes,

nes, vel ulcera, absorpto edente, originem trahit. Perquam raro ossa, ut jamjam dictum fuit, aggreditur, his symptomatis gradu certo non praeeuntibus, et quibus investigatis, morbus medico semper patefacitur. Median vel ossium durissimam partem afficit lues, et plerumque prius in palati vel nasi ossa, quam majora, impetum facit. Nunquam in scrophula res ita se habent. Ulceris species externa magna ex parte morbum distinguit; hoc syphilitide progenitum, semel visum, postea nunquam e memoria labetur, et iterum visum facillime cognoscitur. In scrophula etiam tumor ad suppurationem haud tam cito, ac lue, tendere observatur. Symptomata a scrophula cariei comites sese praebentia, praeter haec, morbum in apricum ducent: Non odore foetido vel colore nigro, cariei aliis indicia, stipatur, et curatio haud majore, quam in ulcere partium mollium, molestia perficitur*. Systematis parte una perraro cohibetur scrophula; multas vero vel simul vel serie

† D

pertentat.

* Pannel de Scrophula,

pertentat. Si igitur, offibus dolentibus, glandulae circa maxillas conglobatae, mesentericae, affectae, color faciei floridus, labia vel abdomen tumida conspiciantur, scrophulam enunciare fidenter potest medicus. Denique vero, hominis ipsius, vel eorum de eo multum versatorum, si fides his adhibenda est, narratio diagnosin certissimam efficiet. Namque in lue venerea contactu foedo originem semper deducamus.

Forsitan hic notare haud inutile esset, quod glandulae conglobatae, propter officium quo fungitur systema lymphaticum, saepe ex epispaisticorum usu, ex materia variolosa, cancroso, vel aliqua acrimonia adhibita, tumeant. Haec, in morbo ab aliis fecernendo, memoria tenere necesse erit, ne pro scrophula tumores ab acrimonia orientes, et acrimonia remota discessuros, agnoscamus.

RATIO SYMPTOMATUM QUORUNDAM.

Primum, explicatione dignum, naturaliter nobis sese praebens, est phaenomenon, quod fere semper glandulas morbus adoriatur, et has conglobatas vel lymphaticas non conglomeratas. Causa omnium prima, maxima, et sapientissima, hominem formans, diversas ejus partes diversis firmitudinis et densitatis, ut necessitas, vel rerum aptitudo, postularet, gradibus instruxit. Sic venae soliditate quam arteriae majore, ut systema cresceret, fruunt; et sic ossa aliis partibus multo duriora formantur, ut corpus firmiter suffulciretur, et motionibus et muniis vitae variis apte fungeretur. Homines item inter se discrepant; aliqui enim nimium laxi et debiles, alii contra nimium rigidi evadunt. Siquidem igitur fere omnibus casibus ita statuit Providentia Divina, quod nunc vel tunc lusus, vel regulae exceptio, sese offerret, conceptu haud est difficile; res quotidie, et in corpore humano et in omnibus

omnibus naturae operibus, invenienda. Laxitas propria, per patrem ad liberos, et forsan ad ultimam prolem propaganda, hoc modo systema lymphaticum imbuat.

Quod glandulas, ante alias partes, afficeret, facile est explicandum. Uſus fortasse earum, et structura minuta, adhuc haud bene aperitur; hoc saltem noscimus, quod, ut aliae glandulae, praecipue ex congerie et circumvolutionibus vasorum sanguiferorum, sunt conflatae; sic conglobatae lymphaticorum. Ubi curſu tam tortuoso fluit lympha, ibi multum pollent potentiae retardantes; et igitur vis musculosa ad propellendum postulatur. Hac vero deficiente, lympha cumulatur, et tumor oritur.

Tumoris duritiem tarditas, qua colligitur, efficiat; sic partes aquosae, durante aliquo modo circuitu, propelluntur, dum residuum coagulatur, firmum fit et densum.

Natura ejus indolens materiam, qua est confectus, et nervos glandulis distributos paucos, pro causis agnoscit.

Tumores,

Tumores, praesertim in collo, et circa maxillas, ex eo, quod ante alias partes causis excitantibus sunt obnoxiae, oriuntur.

Materiae ulcere eliminatae speciem coagulo, quod tumoris duritiem format, in frusta parva liquato, et pure et lympha in vulnera commisto, procul dubio tribuamus.

Abdomen fit tumidum, propterea quod glandulae conglobatae mesentericae infarciuntur. Hae fere omni casu, testante Russelo, post mortem, corpore secto, amplificatae spectantur.

Aliam etiam causam hoc symptoma habeat. Aër semper, dum cibus fermentat, solvitur, vel miscetur, in primis viis liberatur. Sanitate vero illibata manente, hujus aëris effectus haud sentiuntur ; per actionem namque intestinorum validam, cum cibo penitus miscetur et absorbetur, vel deorsum via aperta ruit. In scrophula, ubi intestinorum robur multum frangitur, aër majore copia formatur, et haud ejicitur ; retentus igitur abdomen tumidum reddet.

Facies

Facies florida et cutis laevis temperamenti tantum sunt signa, et explicatione haud egent. Unde labium vero superius et columna nasi fiunt tumida, dictu est perdifficile. Nulli rem exponere conantur auctores; omnis theoria etiam, quatenus noscimus, est vana. Melius in caligine relinquere, quam tempus conjecturis terere, opinamur.

PROGNOSIS.

Prognosis in omnibus morbis haud facile instituitur, et ei formanda summa artis propriae notitia ac acumen magnum medico opus est; in scrophula haec praecipue requiruntur. Ineunte morbo, prognosin instituere, vel mortem aut sanitatem praedicere, ferme erit impossibile. Nunquam subito mortem intentat; potius est lentus et diutinus, quam pericolosus, et, quamvis uno tempore amotus videatur, tamen viribus resurgat adauctis. Si aeger pubertatem haud attigerit, meliora sunt expectanda ex syste-

systematis diversis mutationibus ; hae namque, statum solidorum priorem mutando, curationem perficiant, et igitur in aetate tenera raro esse exitialem afferit Armstrong *. Si nunc primum morbo laboret, si firmam valetudinem antea expertus sit, vires non aliis morbis fractae, tumores adhuc doloris expertes et mobiles, spes aliqua affulget. Autumnus instans, vere longo intervallo diffito, bonum praenunciat. In ulcere, signum est faustum, si loco materiae tenuis, ichorosae, puris benigni quantitas effundatur ; hoc enim citius sanatur. Wifeman tumores rotundos multo mitiores, quam ovatos, se invenisse testatur.

Contra, si aeger aetate fit magis provec-tus, ultra annum quadragesimum †; si tu-mores numero polleant, magni et immobi-les, ad inflammationem et ulcerationem proclives ; si ulcera fiant sinuosa, fordida, cum labiis callosis ; si offa laborant, et ca-
ries

* Diseases of children.

† Russel on Sea Water. Wifeman's Surgery.

ries inducatur, conclamatum est. Quo tempore vero spiritum trahat supremum, dicere haud possumus. Tumores interni plus periculi quam externi prae se ferunt, quia nulla medicamenta externa sunt adhibenda, et aegroto morbos insanabiles minantur.

Hisce omnibus inter se collatis, clare, utrum tardus et curationem haud admittens aegrum diu vexet, vel ex conamine naturae, aut auxilio artis, spes adhuc restat, patebit. Explorare vero quomodo in aliis morbis terminaret, famam medici augeat, et medendi confilia monstret.

Si tubercula ante pubertatem partes corporis externas adoriantur, et si, pubertate ineunte, haec gradatim evanescant, quae tussis, dolor in pectore fixus, respiratio difficultis, rigores frequentes, corporis emacatio, volae manuum calidae, et alia febris hecticae signa excipiunt, proprie scrophulam ab externis in glandulas internas transisse, et phthisin ibi inducere pulmonalem, diceremus. Prognosin igitur et mendandi methodum, prout res exigit, dirigere
op ortet;

oportet; eventum vero funestum omnia timere suadent; namque et periculo et pertinacia alias phthiseos causas haec superat.

Sí a partibus externis retrócedat morbus, cui corporis dispendium celere, tussi non urgente, tormina, fluxus caeliacus, dolor abdominis vehemens, immotus, cùm febre hectica succedunt, atrophia ex glandulis mesentericis infarctis haud longe abest. Haec vero glandulae, etiam suppuratione aut hectica absentibus, e medio aegrum tollant.

Iterum, si sitis intoleranda, urina parca, lassitudo, et diathesis leucophlegmatica multum vexant, hydropem instantem praenunciamus. Ascites plerumque sequitur; hydrocephalus, ut dicitur, nonnunquam. Hi ambo morbi raro sunt sanabiles, et mortem eito intentant.

Tumores, vulgo albi dicti, facile specie externa dignoscuntur, et haud tam magnum, quam morbi supra recensiti, timorem

F. † in-

incutiunt. Saepe, arte incassum tentata,
per amputationem sunt sanati.

METHODUS MEDENDI.

A doctrina in priore dissertationis parte
tradita, et quia medici auxilium ante morbi
impetum nunquam postulatur, sequentes
curandi indicationes formare liceat.

I. Tumores amovere,

a. Resolutione,

b. Suppuratione,

c. Extirpatione.

II. Systema lymphaticum corroborare,

A. Exercitatione,

aa. Ambulatione,

bb. Gestatione,

cc. Navigatione.

B. Aëre frigido,

C. Balneo frigido,

D. Cortice Peruviano,

E. Absorbentibus et alkalinis,

F. Chalybeatis,

G. Regimine proprio.

I. *Tumores amovere.*—a. *Resolutione*—

Tumores tardissime maturantur vel suppurantur; occasionem igitur omnia ad resolvendum medicamenta, multis auctoribus oblata, probandi arripiamus. Hic tumores amovendi modus suppurationi praefstat; ulceræ enim aegre sanescunt, ducitur cicatrix indecora, et sanie manantis copia vigorem minuet, et morbum augebit. In hunc finem, si inflammatio urgeat, vena est parce fecanda, alvus lene solvenda, omnia irritamenta, ut frigus, aut laetus ab extra, et interne, caro alkalescens, aut potus stimulans, vitanda. Nitrum, aut alia refrigerantia, aeger propinet. Inflammatione subacta, resolutionis diversis medicamentis est tentanda.

Omnibus auctoribus laudatis palmam eripuit *aqua marina*. Russelus celebris, homo experientia pollens, et veritate spectandus, tam multum commodi ab ea accepit, quod paucas se glandulas invenisse tumidas, suppuratione adhuc vacuas, non eripiendas, vel resolutionem respuentes, afferuit. Omnem ejus vim doti smecticae, humores viscidos

cidos purganti et discutienti, attribuit.
Quamvis dos talis aquae marinae insit,
parva qua colligitur copia, bona ejus usu
defluentia haud explicabit; et quantitas,
alvum solvens, est etiam tam parva, ut ni-
hil fere absorbetur. Virtutes potius effecti-
bus corroborantibus referre licet. Leniter
ventrem movet, digestionem adjuvat, ex-
cretiones, praesertim per intestina et urinam,
promovet, putredini obviam it, et vasa lactea
stimulando tonum adauget, et chyli motum
accelerat. In primas vias agendo sistema
totum musculosum, et igitur sistema lym-
phaticum, firmabit. Hoc medicamentum,
aliis modis frustra tentatis, saepe sanavit.
Dosis, secundum in corpus effectus, est mo-
deranda. Ad duas vel tres usque dejectio-
nes indies propinare oportet; ulterius vero
ingestum propositum statutum fraudabit,
et evacuatione, quam movebit, fomitem
morbo suppeditabit. Aqua marina, sola
epota, est nauseosa et ingrata, sitim inducit,
et saepe aeger, in tenera praesertim aetate,
bibere recusabit. Hisce casibus optime a-

qua

qua fontana commisceri potest; ita ut operationem haud impedit, et eodem tempore gustui et stomacho magis placeat. Aliqui etiam afferunt auctores, quod diluentia in morbo magnopere profunt, et quod aquae marinae vires nequaquam minuunt. Hoc medicamento a morbi principio assidue uteremus; si pus enim formetur, Russelo suadente, spes nullae affulgent.

Cathartica alia laudantur, et certe tormina, alimentorum concoctio corrupta, et abdominis tumor, horum utilitatem plane indicant. Quicquid namque intestina purgat haec symptomata levabit. Mitissima vero sunt tantum adhibenda, quae alvum modice, haud nimis, solvunt. Solutionem antimonialem aliis praeponit Armstrong *.

Ponto immergere vasto, saepe tumores scrophulosos profligavit. Hujus utilitatem ratio equidem ostenderit; faltem cum causa proxima, antea tradita, congruit. Multis laudibus a Doctore Speed effertur, qui

etiam

* Diseases of children.

etiam usui interno hoc remedium praetulit *. Cullenus aquae marinae usum internum et externum omnibus aliis medicamentis anteire testatur.

Quamvis his modis aliquando tumores resolvantur, alii tamen in promptu inveniuntur.

Aquae minerales saepe usae fuerunt; hae vero doti purganti praeditae, quales in locis Moffat, Harrowgate, Scarborough, dictis, reperiuntur, commodum praecipue spondent. Æger in horum vicinia habitans, periculum faceret; si procul absit, aqua marina, aut naturalis aut arte confecta, aequo bonum, cum ambo similiter agunt, praebeat.

Cicuta interne sumpta aliquas laudes accepit: Ab effectibus, quos in morbis glandularum conglomeratarum edit, quod etiam aliquo gradu congregatas afficeret, multi crediderunt. Fothergill cel. casum, efficaciam ejus in morbo levando probantem, memorat, et
in-

* Commentary on Sea Water.

inquit, se easdem vires usu comperisse in aliis *. Morbum vero radicitus tolli haud affirmat. Huic etiam medicamento favet Culleni testimonium, qui ejus ope tumores saepe discussit. Remedium certe est potens, et intimas corporis partes pervadere videatur. Forsan quoque in sistema lymphaticum potentia extendatur. Verum, et si hoc sistema attingat, profectus erit tardissimus, ita quod aegro fastidium afferret, et medicus in dubio de ejus utilitate haerebit.

Mercurius in finem eundem, et ex theoria eadem ac cicuta, fuit adhibitus. An virtute necne praefat, adhuc vero sub judice manet. Dosi magna et saepe iterata, et mercurius et cicuta morbum augebunt, et partium laxitas, qua causa ponitur, intendetur. Mercurius etiam suppurationem, ut fertur, accelerat. Haec medicamenta ut cunque tentare oportet. Optime forsan cicutam, pillularum forma, cum mercurii parva quantitate jungeremus ; vires enim mer-

* Med. Obser. et Inq. vol. 3.

mercurii stimulantes aliquod boni prae se ferant. Cicuta dosi tantum exigua est inchoanda, gradatim augenda, et ne ulterius, quam ut caput aliquo gradu afficeret, progrediamur cavendum.

Tussilago aliquibus laudatur auctoriibus, praecipue Culleno, qui optimos testatur ex ea se vidisse effectus. Alii contra, propter operandi modi inscitiam, medicamento haud fidere videntur. Quando homines conspi- cui inter se dissentunt, ut lites dirimantur, ad experientiam, quasi ultimum refugium, est decurrentum. Aliis igitur medicamen- tis incassum adhibitis, tussilaginem tentare- mus. Plantae recentis succum expressum Cullenus efficacissimum invenit.

Antimonii praeparationes, et etiam *Gummi Guaiaci*, in idem propositum, ac remedia priora, usae fuerunt. Ad tumores vero re- solvendos, multum praestat *cortex Peruvia- nus*, qui viris celeberrimis, Fordyce et Fo- thergill, concelebratur*.

Haec

* Med. Observ. et Inq. vol. 1.

Haec sunt medicamenta interne assump-ta, et quae in totum systema agere videntur. Si nostram fallant expectationem, *remedia externa* tumoribus ipsis admovere oportet. *Cicuta* in hunc finem apta videtur, et vires ejus magnae commodum forsan spondeant; experientia vero adhuc ad effectos proban-dos deest. Dr Gregory senior, in praelec-tionibus suis practicis, *oleum tartari per de-liquium*, quasi optimum remedium, memo-ravit. *Aceti* vapores, solutiones *sac.* *Sat.* et *aluminis*, saepe etiam utuntur. *Gladioli lutei* radicis succum, parti bis terve de die illinendum, laudibus accumulat Armstrong *, qui in tumores, etiam diu ma-nentes, usum esse faustum affirmat.

Forsitan *electricitas* etiam remedium utile praebeat. Externe, forma scintillarum ex tumoribus ipsis educatarum, pro stimulo for-titer ageret, et resolutionem perficiat. Sal-tem tentare oportet, hac cautela in conspec-tu retenta, ne stimulo nimis magno suppu-rationem inducamus.

† F

Hic

* Liber ante citatus.

Hic in universum observare liceat, quod, nisi tumores in alicujus vasis magni vicinia sint positi, vel functiones ad vitam necessarias, ut deglutitionem, masticationem, &c. impedian, resolutionem remediis irritantibus vel stimulantibus nunquam aggrediremur. Haec regula est praecipue notanda, si tumores simili ac partes aliae colore gaudеant, si mobiles et dolore expertes. His enim casibus, circa pubertatem saepe e conspectu intacti evolant, qui, si irritati fuissent, cicatrices ducerent probabiliter indecoras. Medicamentis vero internis, quae experientia probat, et quae supra enumera vimus, uteremur. Si etiam usu remediorum externorum tumores repellamus, quem hecticae vel hydropis symptomata excipient, nos desistere oportet; nam multo melius est, hos in corporis superficie Naturae committere, quam aegrum morbis tam diris in vitae periculum summum inferre.

Modis resolutioni aptis tumores aliquando profligemus; saepe vero conamina nos

inania

inania fallunt, et morbus *suppurationem* versus tendit. Quando rem ita se habere probatur, summis viribus est nitendum, quod pus laudabile promoteatur, et quod, vice ulceris mali moris, mite et benignum redatur. Si ulcus speciem prae se fert bonam, linteamenta sicca tantem adhibere necesse erit; si aliter vero evenit, diversa utuntur medicamenta. Hic porro notare debemus, quod, nisi ulcera ipsa sanari sint proclivia, (diatheseos ferme subactae signum), nulla siccantia vel repellentia admoveremus. Quamvis namque una parte curatio perficiatur, aliam, magis nobilem et magis vitae necessariam, ut pulmones, mesenteriam, et effectus inducens periculo pliores, forsan aggrediretur. Donec igitur morbus ab imis radicibus sit evulsus, optimam ageremus partem, viam materiae liberam patefaciendo, et ne sinus formentur cavendo. Puris formatio ex seri effusi copia multum pendere videtur, quod hic haud benigne fluens speciem gignit ichorosam. Quodcumque fluxum auget pus laudabile promoveat,

veat. Hinc *stimulantia* in auxilium saepe vocantur, e. g. mercurius praecipitatus ruber, ex cupro parata, terebinthinae, solutio caustica, cataplasmata ex pulvere sinapis confecta. Haec vero omnia vi nimis magna agunt, et mitiora multum praefstant. Aqua marina, aut pura aut apte diluta, proposito bene respondeat. Hoc modo adhibita praecipue Russelo laudatur. Æther vitriolicus remedium forsan efficacissimum suppeditaret. In nosocomio, contra ulcera inveterata nuper praescriptus, optimos edidit effectus. Hic etiam pro stimulo ageret, et seri effusionem satis liberam concitaret.

Tertius et ultimus tumores amovendi modus, est *extirpatione*. Multi hanc operationem suadent, et multi etiam ei repugnant. Ex tumoris situ, ex natura ejus indolente, in multis casibus certe ea uti licet. Morbum vero a stirpe hoc modo fugari, haud expectandum, qui toto systemate lymphatico, non glandulis solis, haeret. Tantummodo aliquod levaminis pro tempore affert. Praeterea, si tumores cultro tollantur,

tur, similes in aliis partibus, ut pulmonibus, &c. ubi remedium morbo erit deterius, repellent. Sic loquitur Sauvagesius: “Curatio saepius est noxia, si per externa medicamina, suppurrantia, aut quod pejus est caustica, aut demum per excisionem tentetur; inde enim uberius strumae progerminant, acrius inflammantur, pertinacius exulcerantur *.” Nunquam igitur eos extirpemus, nisi in cancrem quasi vertentes appareant. Uni vero formae sub qua scrophula apparet, nempe tumori albo, operatio chirurgica per quam utilis invenitur; quem tempestive amovendo, aeger aut in sanitatem perfectam reddit, aut lenimen magnum accipit.

Nunc ad *consilium secundum*, partes affectas roborare, est perventum; quod primum aliquo gradu perficit,

A. *Exercitatione*—Hujus vires tonicae fere omnibus innotescunt. Concoctioni ciborum, chyli formationi et absorptioni insigniter favet; sanguinis circuitum per totum

* *Nosologia Methodica*, vol. 2.

tum corpus promovet, et libramen inter ingesta ac egesta justum efficit et servat. Infantem igitur, diathesi scrophulosa imbutum, sedulo firmaremus, tempestive, prout casus exigit, aleremus, et in aëre aperto exercitationi assuefaceremus. Ætate magis proiecta aegri, ut vires vel negotia ferant, suis musculis inter ambulandum uti debent. Si vero coelum immite et nubilum ne ambulent impedit, in rheda vehi, vel operi aliquuj generis domi incumbere conveniet. Navigatio multis etiam laudatur, utpote aliis modis stabilitatem et perspirationem magis augendo, et aegrotum haud laffando, antecellit. Ubi ulla phthiseos apparent signa, ibi maximum praebet commodum. In omni exercitationis genere, ne ultra vires protrahatur, ut etiam ne humiditatis ac frigoris noxae sentiantur, sedulo est cavendum.

B. *Aëre frigido*—Nihil corpori nostro admotum vi tam magna relaxante quam calor gaudet, aut ejus robur tam multum frangit; e contra, frigus fibras condensat, et systematis tonum confirmat. Ubi igitur,

ut

ut in scrophula, laxitas aegrum vexat, calor est vitandus, frigus utendum. Exercitatione vires ejus augentur; frigus namque dote naturaliter sedante gaudet, et effectus stimulantes sunt tantum secundarii, ex ea systematis bene nota lege, reactione vocata, orientes. Reactio a sanitate et firmitudine multum pendet, quarum vices morbo aliquatenus imminutarum, corporis motu proprio supplere oportet. Frigoris etiam gradus, secundum aegri vires et exercitacionem, quam tolerare potest, est moderandus.

C. *Balneo frigido*—Eodem modo ac aér frigidus in corpus ageret; in hoc vero aëri praefstat balneum, quod semper in promptū adest; aér, contra, prout anni tempus et regio, variat. Primo est caute adhibendum, et prout aeger ferat iterandum. Si post ejus usum tremulum frigore quatitur corpus; si per totum diem alget et debilior fit, systematis reactionem superari noscimus. Balnei igitur temperies est augenda. Sed si, sensu frigoris cito evanescente, symptomata reactio-

reactionis apparent, cute rubore ac calore suffusa, postero die tuto gradu eodem vel etiam majore uti possit. Aqua marina fluviatili est anteponenda, utpote quoad temperaturam magis aequabilis, ac, propter saltem ea contentum, sistema quodammodo magis stimulat.

De intrando balneo marino sequentes instituit regulas Dr Russel. Si tumor immobilis parti haeret, ac durus, balneum frigidum haud administrandum; sed, e contra, si minor, mobilior, et mollior fiat, tunc commodum, eo in auxilium vocato, est expectandum. Si pulsus ex usu ejus frequenter evadat, appetitus languescat, ac vires prosternantur, tunc omnino differendum est, ne omnia in pejus ruerent.

D. *Cortex Peruvianus*—omnium tonicorum optimus, haud hic omittendus. Vires enim ventriculi et intestinorum reficit, ac chyli boni praeparationem promovet. Sed, omissa omni theoria, etiam praxis ac experientia usum ejus commendat. Casus multi narrantur, in quibus Dr Fothergill sum-

mam

mam ejus vim plus simplice vice expertus est. Antea de virtute hujus remedii diximus, discutiendis tumoribus. Doctores Fordyce et Fothergill eum utilissimum invenire contra ophthalmiam scrophulofam. In 2do vol. Med. Obser. duo exempla notabilia ejus virtutis a Doctore Bond narrantur. Dr Cullen, e contra, dicit illum raro ejus votis respondisse. Etiam in statu ulcerato utilis sit, vertendo materiam ichorosam ac tenuem in pus blandum et benignum. De dosi, ac modo eum administrandi, haud hic opus multa dicere, quum satis ab auctori- bus permultis de his narratur. Solum est observandum, quod sub forma decocti, pauxillo elix. guaic. vol. adjecto, bene pro- pinatur.

Eidem proposito ac cortex, alia amara etiam inserviunt, et si plerumque hic iis est anteponendus. Alia etiam tonica laudari merentur. Dr Speed dicit, se obstrutas glandulas mesentericas saepissime solvere, adhibito ense veneris, vel floribus martiali- bus. Ipse bonos vidi effectus ex usu inter-

no ac externo (sub forma unguenti) vitrioli albi. Ulcus enim, cui fuit admotum, convaluit, et etiam tumores multi alii indurati, minores et molliores reddebantur.

E. *Absorbentia* et *Alkalina* ab omnibus antiquis fuerunt laudata, et ea erat eorum virtus, ut causam hujus morbi esse aciditatem feri sanguinis, multi concludere inducebantur. Sed hujus theoriae falsitatem supra demonstrare conati sumus. Aciditas nullibi corporis, praeter ventriculo, invenitur, ac tunc solummodo corporis totius imbecillitatem ostendit. Etsi vero est symptomatum tantum debilitatis, tamen hanc continuare ac multum augere valet, et, qua sublata, tonus systematis restauratur. In hunc finem laudantur alkalina et absorbentia, haec ad obtegendarum, illa ad neutralizandam aciditatem. Horum antiqui in usum vocabant ostreorum conchas calcinatas, lapidem pumiceum torrefactum, spongiam ustam, algam, os saepiae, &c. Hodierni etiam similibus utuntur, ut sale sodae, &c.

Haec,

Haec, aciditati obviam eundo, morbum aliquatenus levarent; sed dubium est, quod eum radicitus tollere possint. De Haen * casum narrat, ubi felici cum successu administrabantur. Fatetur tamen, remedio omisso, morbum rediisse; quod probat tantum haec lenire, haud ex toto scrophulam curare. Omnium absorbentium magnesia optima est, utpote quae acidi vim extinguit, ac alvum solvit.

F. *Chalybeata* magna vi tonica praedita sunt; et igitur utilissima forsan evaderent. Administrari per se possint, vel cortice nupta.

G. *Diaeta* hoc morbo debet esse nutriens, ex animalibus confecta, et, ut digestio bene procedat, vini pauxillum alicujus generosi simul sumatur. Sed cavendum, ne ingestum mole certos fines transeat, quoniam sic ventriculum distendendo ejus vires frangat. Igitur, melius cibum assumere parva quantitate, sed saepius iterata. Si, denique,

* Ratio Medendi, vol. 1.

nique, symptomata supervenient hectica, regimen supra relatum mutandum est, ac loco ejus diaeta lactea, et facile digerenda, substitui debet; omnibus stimulante vi praeditis caute evitatis.

F I N I S.